

ARTICULUS II.

DE PROTOCANONICIS N. T. SINGILLATIM SUMPTIS

Quamvis nonnulla de singulis N. T. libris in praecedenti articulo pro data occasione, et sparsim dicta sint, praestabit tamen nunc distincte de singulis tractare. Non ita tamen plene et fusiori stylo haec persequemur, sed breviter et quantum elementari tractationi satis esse possit.

I. Quatuor Evangelia.

A. Evangelium S. Matthaei.

Matthaeus, qui etiam Levi (Mt. IX, 9), Indaeus fuit, et antequam a Iesu vocaretur, publicani, seu portitoris munere apud Capernaum fungebatur. Quod tamen munus illico dereliquit cum Christi voce ad apostolatam vocatus est, eundemque Christum cum discipulis convivio excepit, quo etiam ingens aliorum portitorum turba convenit. Exinde Christi sequelae et scholae addictus inter duodecim Apostolos numerari coepit. Haec sunt quae ex Evangelio didicimus de Matthaeo: quibus traditio plura addit quae fere incerta sunt, parum convenientibus veterum testimoniis, ut ex: gr: eum Chaldaeis vel Aethiopicis Evangelium praedicasse, eiusque causa in Arabia aut in Aethiopia martyrium subisse (1). Illud tamen apud omnes certissimum est, Matthaeum auctorem esse primi ex quatuor Evangelis: quod unanimi consensu veteres tradiderunt.

iis descendere, paribusque armis congredi; plerumque tamen breviorum inimicis viam: nempe operosas eorum disputationes, ac erudita somnia ad prima logicae et criticae elementa revocabimus, ut uno veluti ietu ea demoliatur ostendentes quam longe a veritate et a communi, uti dicitur, sensu aberrant. Quo etiam fiet ut existimatio illa qua homines huiusmodi apud imperitos gaudent, ita coarceatur, ut eos in philologia quidem laudem mereri aliquam, in Theologia vero ac Biblicae scientia delirare prorsus, aut caecorum more nihil omnino videre arbitremur.

(1) Haec videri possunt apud Eusebium Hist. Eccl. III, 24, et V, 18, ubi refert testimonium Apollonii de Matthaeo; item apud Irenaeum Advers. Haer. III, 1, Clementem Alex. Strom. IV, 9 atque (V. Dupinii Dissert. prelim. sur la Bible I. II, 3.)

Narrant enim Papias, Irenaeus, Origenes caeterique, quorum testimonia in praecedenti thesi recitavimus, Matthaeum pro Hebraeis hebraica lingua Evangelium scripsisse antequam Apostolici muneris causa e Palaestina discederet, ut « quod praesentiae suae deerat illis a quibus discedebat per scripturam compensaret » ut ait Eusebius (Hist. Eccl. III, 25). Ad scopum et indolem Evangelii quod attinet Matthaeus sibi proposuit demonstrare Iesum esse Messiam a prophetis V. T. praenunciatum, nec alium esse expectandum: hinc non integram Christi Domini historiam aut doctrinam exponendam suscepit, sed ea tantum dicta vel facta quae cum laudato fine maxime conveniebant. Haec quidem tum ex attenta huius Evangelii lectione et analysi constant, tum ex expresso veterum scriptorum testimonio. In primis capitibus et saepe etiam in reliquis partibus plura adducit prophetarum oracula, eaque ostendit in variis Christi gestis impleta fuisse: Christi sermones morales etiam longiores integre et multo prolixius quam Marcus et Lucas refert, imprimis sermonem in monte habitum totis V, VI, VII capitibus, item apostolorum instructionem X, 1-42 etc. In historia vero narranda, ut alias innuimus, chronologicum ordinem accurate non sequitur. Potest tamen sub hoc respectu in tres partes dividi totum Matthaei Evangelium. *Pars I^a* a cap. I usque ad IV, 16 veluti *prooemium* continet in quo narratur historia infantiae Christi (I, II) et inauguratio muneris publici eiusdem Christi Domini per Baptismum Iohannis, et quadraginta dierum ieiunium in deserto (III, IV-16). *Pars II^a* a cap. IV, 17-XVI, 20 continet historiam *vitae publicae* Iesu, scilicet apostolorum vocationem, sermonem montanum, miracula plurima in variis Galilaeae locis patrata, primam duodecim Apostolorum missionem et plurimos exantlatos labores in docenda plebe et Evangelii semine spargendo. *Pars III^a* a cap. XVI, 21 usque ad finem refert passionem, mortem et resurrectionem Christi; scilicet cap. XVI, 21-XXVI, 35 narrat praeparationem Apostolorum ad passionem, ultimum iter Ierosolymitanum, eaque quae in urbe ab eo gesta sunt paulo ante passionem praesertim ultimam coenam paschalem, et SS. Eucharistiae institutionem: reliqua vero capita ipsius passionis, mortis et resurrectionis narrationem continent.

De aetate qua Matthaeus scripsit in fine huius numeri dicemus.

B. Evangelium S. Marci.

Marcus Evangelista a nonnullis idem esse creditur ac Iohannes

Marcus, de quo mentio fit in Actibus Apostolorum (XII, 12, 25, XIII, 5 et al.), ab aliis vero confunditur cum Marco, cuius saepe meminit S. Paulus (Colos. IV, 10, 2 Tim. IV, 11, etc.) Sed haec incerta sunt, et meris coniecturis innixa. Quidam inter antiquos Marcum Evangelistam unum ex 72 discipulis faciunt, quod tamen repugnare videtur testimonio historicorum affirmantium Marcum ex testimonio S. Petri didicisse quae in Evangelio scripsit. Eum tamen secundi Evangelii auctorem fuisse omnes concedunt; post cuius editionem a S. Petro eius magistro in Aegyptum missus est, ubi Evangelium praedicavit et florentissimam ecclesiam Alexandriae fundavit, cuius primus Episcopus consecratus est. Obiit octavo Neronis anno, et sepultus est Alexandriae succedente sibi Aniano (Hier. Catal. Vir. Ill. c. 8).

Quo consilio, qua occasione et quo loco Evangelium scripserit Marcus distincte ab antiquis Patribus discere possumus. Testimonia Papiae, et Irenaei alias recitavimus: addimus nunc disertam Clementis Alex. attestationem. Is itaque apud Eusebium Hist. Eccl. VI, 14 haec refert: « Cum Petrus Romae verbum Dei publice praedicasset, et Spiritu Sancto afflatus Evangelium promulgasset, multi qui aderant Marcum exhortati sunt, utpote qui Petrum iamdudum esset sectatus, et dicta eius memoria teneret, ut quae ab Apostolo praedicata erant conscriberet. Marcus igitur Evangelium composuit, iisque qui illud ab ipso rogabant impertiit. Quod cum Petrus comperisset, nec prohibuit directe rem fieri, nec ut fieret incitavit. » Hanc circumstantiam de Petri agendi ratione clarius a laudato Eusebio explicatur, et quidem ex eiusdem Clementis Alex. sententia: narrata enim historia de evangelii compositione per Marcum addit: « Quod cum Petrus per revelationem S. Spiritus cognovisset, delectatus ardente hominum (Romanorum) studio librum istum auctoritate sua comprobasse dicitur, ut deinceps in Ecclesiis legeretur. Clemens in Sexto Hypotyposeon libro retulit hanc historiam » (Eusebius II, 15). E quibus apparet postrema verba prioris testimonii intelligenda esse de tempore antecedente illam Spiritus Sancti revelationem. Similia leguntur apud Hieronymum loco cit. Ex his apparet consilium seu scopum Evangelistae fuisse non modo historiam, sed etiam doctrinam Christi brevi compendio exponere ad memoriam servandam eorum quae a S. Petro viva voce praedicata fuerant.

Ad scribendam rationem quod attinet Marcus ceteris Evangelistis

brevior est, et in rebus narrandis rapido et desultorio stylo utitur: ordinem chronologicum accuratus servat quam Matthaeus, et transitum ab una ad aliam factorum seriem clarius indicat; ceterum Matthaei historiam sequitur praesertim a Cap. VII et deinceps, quod recte notavit S. Augustinus Marcum appellans abbreviatorem *Matthaei*. Ob ipsam indolem, et scopum Evangelii huius plura in eo omittuntur tum facta tum dicta Christi, quae prolixè a Matthaeo relata sunt: vicissim tamen nonnulla in eo habentur a Matthaeo omissa, ut ex. gr. multae circumstantiae sanationis hominis surdi et muti Mar. VII, 31-37, curatio caeci cuiusdam VIII, 22-26, item duae breviores parabolae IV, 26-29, et XIII, 34-36. Quinimo non obstante generali sermonis concisione in quibusdam narrandis Marcus uberius est non solum Matthaeo, sed etiam Luca, ut ex. gr. in descriptione daemoniaci Geraseni VI-16, et pueri lunatici IX, 13-28: quaedam etiam minuta refert a caeteris Evangelistis omissa, quaeque profecto ab ore S. Petri exceperat, ut sunt nonnullae circumstantiae (Mar. XIV, 66-72) de trina ipsius Petri negatione in atrio principis sacerdotum, reprehensio a Christo ipsi facta Mar. VIII, 32-33, et alia huiusmodi, quae Apostolus ob humilitatem distincte narrare solebat, dum contra ea quae ipsi Petro gloriosa erant parcus et obscurius indicat, vel omittit ex. gr. Petri confessionem et primatus promissionem a Christo acceptam (Mar. VIII, 27 seq. coll. Math. XVI) eiusdemque primatus collationem (Io. XXI) aliaque similia.

Divisio, seu analysis Evangelii haec potest esse. *Pars I* Cap. I, 1-12 prooemium continet, in quo Iohannem Baptistam praecursorem sistit in deserto praedicantem, a quo Christus ipse baptizatur. *Pars II* a Cap. I, 13-IX, 49 gesta et praedicationem Iesu in Galilaea describit ab eo tempore quo Iohannes Baptista in carcerem detrusus est usque ad ultimum discessum Christi et Galilaea. *Pars III* a Cap. X-XVI, 20 refert ultimum Iesu Christi iter in Iudaeam et Ierosolymam, et ibidem ab eo dicta et facta, tum coenae paschalis celebrationem, Eius passionem, mortem et resurrectionem cum nonnullis redivi Domini apparitionibus, et in caelum ascensionem. Marci Evangelium graeca lingua non vero latina, ut quidam dixerunt, exaratum fuisse ex unanimi veterum testimonio probatur, cui nihil solidum opponi potest, ut in capite sequenti declarabimus.

C. Evangelium S. Lucae.

Lucam auctorem esse tertii Evangelii et Actorum Apostolicorum superius demonstravimus. Eum fuisse patriam Antiochenum tradunt Eusebius, Hieronymus alique Ecclesiastici scriptores ex antiqua traditione: professione medicum fuisse docet Paulus Colos. IV, 14, et confirmat tum elegantior et cultior librorum stylus, tum accuratus et technicus loquendi modus ubi de morborum descriptione sermo est, quemadmodum a recentioribus quibusdam criticis ingeniose ostenditur (1). Iudaeusne an Ethnicus fuerit antequam Christo nomen daret ambigitur: nam Ethnicum fuisse insinuat Paulus Col. IV, 10, 14, ubi Lucam ab iis qui sunt ex circumcisione distinguit; contra vero Iudaeum fuisse suadet institutorum, rituum, et rerum Iudaicarum accurata cognitio quam ubique prodit, nec non locus Act. XXI, 27-29 ubi legimus Iudaeos Asianos excitate tumultum contra Paulum Apostolum quod homines Ethnicos in templum introduxisset, nec tamen nominatur Lucas, qui tunc Pauli comes erat, sed tantum quidam Trophimus Ephesius. Fortasse dicendum Lucam parentibus quidem Ethnicis natum esse, sed Iudaeum proselytum fuisse antequam ad Christum converteretur, quod forte opera Pauli Apostoli factum est cum Antiochiae Evangelium praedicaret (2). Cum Paulus secundo iter faceret per Syriam et Asiam minorem Lucas eidem se comitem adiunxit, et cum eo in Macedoniam profectus est (Act. XVI, 10 seqq.); et iterum post annos quatuor Paulo ex Achaia redeanti se consociavit eumque Hierosolymam usque comitatus est (Act. XX, 5-XXI, 15 seqq.), imo etiam cum Caesaream, et deinde Romam Paulus captivus duceretur ei adhaesit, et toto biennio captivitatis Romae adfuit (Act. XXVII); denique etiam in secunda captivitate Romana, Lucam solum, ceteris abentibus, apud Paulum mansisse discimus ex 2 Tim. IV, 11. Post mortem Apostoli Evangelium praedicasse fertur

(1) Lucam pictorem fuisse primus tradidit Niephorus nullo veterum testimonio innixus.

(2) Quod dicit Epiphanius Lucam unum ex 70 Christi discipulis fuisse, et quod addit Theophylactus eum fuisse unum de duobus discipulis, quibus in Emmaus iter agentibus Christus rediit apparuit (Luc. XXIV), conciliari vix possunt cum ipsius Lucae testimonio, qui in exordio sui Evangelii (I. 2. 3) seipsum a testibus immediatis et oculatis gestorum distinguit; nisi forte id intelligi velit de iis tantum quae ad Christi infantiam et initia eius praedicationis pertinent.

in variis Europae meridionalis regionibus, et etiam in Aegypto ac Lybia; eum alii martyrio sublato dicunt, alii naturali morte obiisse, et id quidem sive Thebis Boeotiae, sive Ephesi, sive in Bithynia, sive, ut vult Sedulius, in Achaia postquam coelibem vitam usque ad annum aetatis 84 duxisset.

Lucas nequaquam more Hebraeorum ab ipsa rerum narratione librum exorditur, sed iuxta Romanorum et Graecorum scriptorum consuetudinem brevem quemdam prologum praemittit, in quo elegant, aliisque bene composita periodo, occasionem et scopum libri aperit, fontes a se adhibitos, et scribendi methodum docet, et aliorum libros de eodem argumento antea vulgatos commemorat; denique librum dedicat cuidam Theophilo, quem *optimum* (Graece *κρείττοτον*) vocat; qui cum esset titulus honoris Senatoribus, Praefectis et magistratibus tribui solitus, inde multi concludunt hunc Theophilum nobiliorem et potentiorum virum fuisse iam Christi fide imbutum; alii vero id negant cum titulus ille etiam amicis et familiaribus aliquando tribueretur, et in exordio Actorum I, 1 idem vir simpliciter Theophilus appelleretur a Luca.

Ex laudato prologo Evangelii apparet scopum S. Lucae in Evangelio scribendo fuisse historiae ac doctrinae Christi *pleniorum inde ab exordio* (*ζωθεν*) expositionem tradere, idque servato *accuratiori ordine* chronologico (*καθ'εξῆς*), ut Theophilus caeterique lectores certo cognoscerent totam gestorum Christi seriem de quibus ortenus edocti fuerant. Ad hunc finem dicit se *assequutum fuisse omnia diligenter* ab iis qui ab initio testes ac ministri fuerant evangelicae historiae (Luc. I, 1-4). Iuxta hunc finem Lucae Evangelium, quod perfinet ad *materiam*, plenus est quam Marci et etiam Matthaei: plura enim narrat Lucas ab illis omnia imprimis de Christi natalitate et infantia (Luc. I et II) ubi totam historiam natalitatis Baptistae, Annunciationis B. M. V., Circumcisionis et Praesentationis Pueri Iesu in templo etc., item disputationem eius cum doctoribus anno aetatis XII, et plures alias circumstantias solus refert, quae primam illam historiae Evangelicae epocham mirifice illustrant. Item gesta Christi Domini in Iudaea a Matthaeo et Marco breviter tantum indicata a Luca plenus narratur (IX, 51-XIX, 37). Denique in iis etiam quae illi cum Matthaeo vel Marco communia sunt quasdam circumstantias aliquando addit quae clariorem reddunt rerum narrationem ex. gr. cum duo illi Evangelistae generatim dixissent

latrones cum Christo Cruci affixos eidem insultasse (Mat. XXVII, 44, Mar. XV, 32), Lucas distinctius explicat unum tantum ex latronibus Christum blasphemasse, alterum autem Christi defensionem suscepisse, et ab eo peccatorum remissionem et aeterni praemii promissionem meruisse (Luc. XXIII, 39-43): idem praestat in narranda Christi agonia in horto (XXII, 41-43), ut alias vidimus, et in pluribus aliis locis. Caeterum solet Lucas nunc Matthaem, nunc Marcum sequi, prout scilicet hic vel ille plenus et accuratius factum aliquod narraverat. Quod autem pertinet ad *formam* narrationis, et dispositionem rerum Lucas magis cum Marco quam cum Mattheo convenit, quia ille ut diximus ordinem chronologicum diligentius servaverat, quamvis hic ordo in Luca adhuc melior et accuratior sit. Totum Evangelium quemadmodum alia duo in tres partes dividi potest. *Pars I* (a cap. I usque ad III, 20) continet praeparationem ad Christi Evangelium, scilicet historiam prodigiosae nativitatis Iohannis praecursoris, et Mariae annunciationem, deinde Christi Domini ortum in Bethlehem, aliaque de ipsius Christi infantia, ac adolescentia. *Pars II* (a cap. III, 21-XXII) complectitur narrationem gestorum Christi in Galilaea, et in variis itineribus Ierosolymam factis. *Pars III* (a XXII, 1-XXIV fin.) exhibet historiam Passionis ac Resurrectionis Christi Domini, ubi etiam additur apparitio duobus discipulis in castellum Emmaus pergentibus a Mattheo omissa, et a Marco obiter indicata (Luc. XXIV, 13-35): denique concluditur Evangelium gloriosa Christi in coelum ascensione (ibid. 50 seq.).

Stylus et lingua S. Lucae, ut saepe alias monuimus, maiorem elegantiam praesefert quam stylus aliorum Evangeliorum, ut facile appareat profundiore graecae linguae notitiam, et literariam culturam auctori non defuisse. Quod quidem ex simplici Graeci textus lectione constat; potest tamen cum cl. Hug ex variis locis confirmari, ubi Lucas sententias Matthaei et Marci referens formam tamen verborum, et ipsas voces corrigit iuxta graecae linguae elegantiam. Ita ex. gr. Mar. XII, 38 legitur: *βλεπετε απο των γραμματος* (*caete a scribis*), Lucas vero XX, 46 pro *βλεπετε* substituit *προσεχετε* quia primum verbum in illa significatione graecum non est: item Mat. XXI, 26 legitur: *παντες γαρ εχουσι Ιωαννην ος προφητην*, phrasis minus graeca est; Lucas XX, 6 elegantius habet: *ο λαος πεπεισμενος γαρ εστιν Ιωαννην προφητην ειναι*.

Cf. etiam Mat. VIII, 9, coll. Luc. VII, 8. Mat. XI, 8, coll. Luc. VII, 25 etc.

D. *Evangelium S. Iohannis.*

De huius Evangelii auctore non est cur multa dicamus: omnibus enim notum est Iohannem Apostolum fratrem Iacobi Maioris, ac filium Zebedaei fuisse Galilaeum, et, ut probabilius videtur, Bethsadae natum ad lacum Genesareth, ubi a Christo Domino post Petrum et Andream fratres ad Apostolatam vocatus est. Eum quamvis humiliori piscatoris arti addictum tamen opibus destitutum non fuisse satis colligitur tum ex eo quod Salome eius mater recensatur inter pias matronas, quae Christo et Apostolis victum suppeditabant (Luc. VIII, 3 coll. Mat. XXVII, 56, et Mar. XV, 41), et mortuo Christo ad eius corpus unguendum pretiosa aromata emisse dicuntur (Luc. XIII, 55, 56), tum etiam ex eo quod summo Pontifici notus fuisse dicatur (Io. XVIII, 15), quare potuit non solum ipse eius domum ingredi, sed etiam Petro aditum obtinere (ib. 15, 16). Quod autem nihilominus rudis et illiteratus esset constat ex Act. IV, 13, ubi dicitur *compertum* fuisse quod Petrus et Iohannes *homines essent sine literis, et idiotae*. A Christo specialiter dilectus Iohannes, et una cum fratre Iacobo, et Simone Petro aliis apostolis frequenter praepositus magistro indivulsa adhaesit non solum toto praedicationis tempore, sed etiam in eius passione, cum, caeteris fugientibus, Dominum sequutus est usque ad Golgotha, ibique iuxta crucem impavidus permansit, et Beatissimam Christi Matrem sibi ab eodem moriente commendatam uti suam accepit (Io. XIX). Post Christi ascensionem Hierosolymis plures annos commoratus plurimum in regno Dei dilatando firmandoque laboravit, postea vero in Asiam minorem perrexit, ubi plures ecclesias fundavit et gubernavit, quemadmodum SS. Polycarpus, Irenaeus alique testantur; quod nonnisi post an. 63 aerae vulgaris factum videtur. Etiam Romae Iohannem fuisse referunt Tertullianus et Hieronymus (Tertul. Praescr. Cap. XXXVI, Hier. Adv. Iovin. I, 26), qui dicunt eum Romae ob Christi confessionem in ferventis olei dolium demersum fuisse, sed cum inde illaesus evasisset in insulam Patmos relegatum fuisse anno XIV Domitiani (Euseb. in Chron. Hier. De Vir. Illustr. etc.). Ab exilio revocatus in Asiam minorem reversus est, et Ecclesiam praesertim Ephesinam rexit usque ad mortem, quae Ephesi contigit cum nonagenario maior esset, imperante Traiano

imperatore. Cum adhuc adolescens a Christo vocatus fuisset eius mors circa annum centesimum aerae vulgaris collocanda est. Character Iohannis, ut ex eius scriptis et ex discipulorum traditione innotescit (Vid. Clem. Alex. ap. Euseb. H. E. III, 23, Hier. de Vir. III. C. IX et com. in Gal. VI, 10 etc.) charitate fervidus, et mira suavitate praeditus, mysticam etiam et contemplativam indolem praesefert.

Occasio scribendi Evangelii Iohanni fuerunt errores, qui contra divinam Christi naturam spargi coeperant in Asia ab Ebionitis et Cerinthianis, nec non fidelium et praesertim Episcoporum desiderium ac preces. Haec tum ex ipsius Evangelii exordio, et ex prima Epistola Iohannis apparent, tum etiam ex veterum testimoniis e. g. Clem. Alex. (apud Eus. H. E. VI, 14), et Hieronymi, quorum alter praef. in Mat. breviter haec exponit inquiens: « Iohannes cum esset in Asia (etiam tum haereticorum semina pullularunt) coactus est ab omnibus poene tunc Asiae Episcopis et multarum Ecclesiarum legationibus de divinitate illius (Christi) scribere: » Addit fragmentum Muratorianum Iohannem omnium discipulorum nomine scripsisse. Praeterea constat Iohannem post ceteros Apostolos scribentem voluisse supplere quae ab illis ommissa fuerant et declarare quae obscuriora in illis videbantur, vel falsis interpretationibus occasionem praebuerant. Id expresse tradunt Theodorus Mopsuestenus, et Eusebius (H. E. III, 24), et ex ipsa Evangelii lectione ostenditur. Duplicem igitur scopum prae oculis habuit Iohannes alterum *dogmaticum*, alterum *historicum*; Christi Divinitatem ostendere contra haereticos, et historiam Evangelicam complere, ac declarare. Iuxta primum scopum in ipso exordio Evangelii de Verbi divinitate sublimiter disserit, quod postea hominem factum esse dicit ipsumque esse Christum: cuius gesta narrans ea potissimum refert quae eius Divinam naturam clarius ostendebant; et quoties occasio sese offert expresse animadvertit dicta et facta Iesu motivum praebuisse variis hominibus firmiter in eum credendis, ut facit ex. gr. I, 33 seq. 48 seq., II, 11, 23, III, 2 seq. IV, 19, 42, 53, VI, 14 seq. IX, 32 seq. 38, XI, 27, 32, 45, XII, 11 etc. Ad alterum vero scopum, scilicet historicum, pertinet quod multa etiam gravissima Iohannes praetermittat ex. gr. totam historiam infantiae Christi Domini, eius gesta in Galilaea, institutionem SS. Eucharistiae et alia multa, quia nempe a praecedentibus Evangelistis haec diligenter

narrata fuerant, et alia potius referat ab illis ommissa vel obiter tractata, ut ex. gr. varia itinera Iesu per Iudaeam, et ibidem gesta, quae solus Lucas et ex parte tantum retulerat, item promissionem Eucharistiae instituendae (Io. VI), sermones Christi dogmaticos et profundiores, praesertim illum quem post ultimam coenam ad discipulos habuit (XIV-XVII), nonnullas etiam circumstantias de Christi Domini passione (XVIII, 4-9, XIX, 20-37 etc.) et resurrectione (XXI). Huc etiam pertinent frequentes explicationes adiectae factis vel dictis, quae obscura vel ambigua videri poterant, ut ex. gr. de solvendo et reaedificando templo (II, 19-21), de Christo baptizante (IV, 1-2), de aqua viva (VII, 38-39), de Caiphae Pontificis vaticinio (XI, 49-51), de Christi exaltatione (XII, 32-33), de incredibili obstinatione Iudaeorum (ib. 37-41), de verbis Christi: *Sic eum volo manere donec veniam* etc. (XXI, 23) et aliae nonnullae.

Totius Evangelii dispositio, et divisio haec est. Tres partes in eo distingui possunt: *Pars I*, proemii loco habenda, de aeterna et temporali Christi generatione pertractat, et de Iohanne Baptista (I, 1-37). *Pars II* (I. 37-XII) publicam eius vitam refert, ita tamen ut praecipue immoretur in iis exponendis quae Salvator fecit in Iudaea, quae quidem distribui possunt chronologicè iuxta varia eius itinera per illam regionem, et varios adventus in urbem Ierosolymam occasione totidem obiectionum contra primam Thesisim. Quinimo Iohannes ad factorum epochas accuratius distinguendas frequenter notat ipsos dies et horas, ut ex. gr. I, 29, 35, 43, II, 1, IV, 43, VI, 22, VII, 14, 37, XII, 1, 12 etc. *Pars III* constat capp. XIII-XX cum appendice cap. XXI: et in hac parte narratur ea quae Christus in ultima nocte private cum Apostolis peregit, tum vero series passionis eius, mors, ac resurrectio. Caput XXI haberi potest tamquam appendix adiecta post conclusum Evangelium (XX, 30, 31), in qua variae apparitiones redivivi Domini narrantur, aliaque magni momenti, inter quae collatio Primatus Petro (XXI, 15-17). Stylus Iohannis multa habet sibi propria, ut animadvertimus in Thesi praecedente.

Haec satis sint de Evangeliiis singillatim sumptis.

Restat tantum ut pauca dicamus de aetate qua Evangelia scripta sunt. Potest autem aetas Evangeliorum considerari vel *rela-*

tive vel absolute. Et primo quidem dicemus de aetate *relativa*, seu de ordine chronologico quo Evangelia se se mutuo excipiunt.

Itaque sciendum est apud antiquos non semper eodem ordine Evangelia recenseri. Triplex autem vel quadruplex ordo recurrit, scilicet.

1° *Matthaeus, Marcus, Lucas, Iohannes.*

2° *Matthaeus, Iohannes, Lucas, Marcus.*

3° *Iohannes, Matthaeus, Marcus, Lucas.*

4° Addi potest ordo a Clemente Alexandrino notatus (ap. Eus. Hist. Ec. VI, 14) nempe « *Matthaeus, Lucas, Marcus, Iohannes.* »

Primus ordo communis est, et in omnibus occurrit antiquis versionibus, nec non in codicibus graecis omnibus praeter unum vel alterum, et apud Patres et Doctores Ecclesiasticos, nunc autem est unicus ordo in Scripturae editionibus receptus. *Secundus* ordo deprehenditur in duobus graecis codicibus, scilicet in cod. D. Cantabrigensi et in cod. 29 et in quibusdam codicibus latinis, ut Vindobonensi, Corbeiensis etc. *Tertius* ordo occurrit in graeco cod. 49, in quibusdam Latinis ut Brixiensi, Vercell. etc. et in versione gothica. *Quartus* denique ordo indicatur a Clemente Alexandrino apud Euseb. loc. cit. ubi narrat se ab antiquis presbyteris accepisse Evangelia illa prius scripta esse, quae Christi genealogiam continent, scilicet Matthaei et Lucae, postea vero Marci Evangelium, et postremo Iohannis.

Hisce breviter expositis, contendimus primum tantum ordinem ex recensitis vere chronologicum esse, seu veram Evangeliorum successionem chronologicam repraesentare. Et re sane vera: secundus et tertius ordo non respiciunt chronologicam relationem, sed potius dignitatem ac munus Evangelistarum, ita ut Matthaeus et Iohannes praepositi sint quod Apostoli essent, Lucas autem et Marcus Apostolico munere carentes postpositi. Sane Iohannis Evangelium, ad aetatem quod attinet, postremum omnium esse omnes unanimiter tradunt etiam illi qui in serie Evangeliorum illud primo loco nominant, ut Tertullianus Adv. Marc. IV, 2, qui tamen in eodem opere, ut alias vidimus, expresse tradit Iohannem postremum omnium scripsisse. Quod pertinet ad ordinem indicatum a Clemente Alex. huius auctoris testimonium relinquendum videtur, quum solum sit adversus concordem antiquorum traditionem, nisi forte velimus Clementem cum reliquis testibus conciliare supponentes illum de *scriptione* Evangeliorum vel partis alienius loquutum es-

se, non autem de eorum *editione*. In loco enim citato affirmat Matthaei et Lucae Evangelia ante reliqua *scripta* esse (περογεγραφθαι): possemus autem non incongrue supponere, Lucam mature omnino scripto mandasse prima Evangelii capita, ubi genealogia continetur et infantia Salvatoris, quae debuit sollicite a B. M. V. aliisque testibus adhuc superstitionibus exquirere, deinde vero post plures annos, et postquam Marcus Evangelium suum Romae vulgaverat, suum opus absolvisse et in lucem edidisse. Itaque primus tantum ordo dicendus est exhibere *relativam* Evangeliorum epocham. Et sane haec Evangeliorum dispositio et successio non solum in codicibus, Patribus et canonicis fere omnibus reperitur, et a multis saeculis unice in Scripturarum editionibus observatur, ut superius innuimus, sed etiam expressis antiquissimorum scriptorum testimoniis innitur, qui deserte affirmant ante omnes Matthaeum, deinde Marcum, tertio Lucam, postremo Iohannem scripsisse. Ita ex apostolicis Patribus Papias (ap. Eus. H. E. III, 39), ut alias vidimus, paulo post Irenaeus Adv. haer. III, 4 ubi ait Matthaeum inter Hebraeos propria eorum lingua scripturam edidisse Evangelii, deinde Marcum, postea Lucam, denique Iohannem Ephesi commorantem evangelium edidisse (Vid. Thes. I, §. 4): eadem habet Origenes in celebri testimonio ap. Eus. H. E. III, 14, qui quidem *ex traditione* haec accepisse fatetur (V. etiam Hom. 7 in Ios.): consentit vetustissimus canon Muratorianus, item Epiphanius haer. 51, Hieronymus in Epist. ad Damasum, Augustinus de cons. Evangelist. lib. 2, Cap. III, et alii plures.

Nullus igitur dubitandi locus relinquatur de *relativa* Evangeliorum aetate.

Absolute vero singulorum Evangeliorum epocham determinare multo difficilius est, imo etiam impossibile si sermo sit de praeciso anno quo singula scripta sunt. Contenti igitur erimus haec *approximative* definire.

Imprimis vero illud certum est, tria priora Evangelia (synoptica) ante excidium Ierosolymae per Titum (Aer. Vulg. 70) prodidisse, quartum vero Evangelium, scil. Iohannis, post illum eventum, seu post a. 70. In hoc enim non modo conveniunt omnes antiqui testes alias citati, sed etiam interni Evangeliorum characteres. Siquidem Matthaeus, Marcus et Lucas ita scribunt ut manifeste supponant adhuc stare urbem et rempublicam Iudaeorum, et vaticinium de futuro urbis excidio referunt (Mt. XXIV. Mr. XIII.

Luc. XXI) quin ulla ratione inuuant illud iam eventu confirmatum esse: contra vero Iohannes non obscure innuit se scribere eversa iam Ierosolyma, cuius statum, et vicinorum locorum tanquam res praeteritas et non amplius extantes memorat (XI, 48, XVIII, 4, XIX, 44 et al.) (1).

Ut autem magis in specie de singulis Evangelii dicamus,

1° Evangelium Matthaei paucis annis post Christi Domini ascensionem scriptum fuit. Multi codices Graeci in subscriptionibus huius Evangelii dicunt illud editum fuisse octo annis post Christi Ascensionem; alii vero testes plures vel pauciores annos ponunt, et generatim fluctuant inter III et X annum a Christi morte, seu XXXII et XXXIX aerae Vulgaris (2), quare hoc temporis intervallum assignare possumus scriptioni huius Evangelii.

2° Evangelium Marci ex dictis scriptum est vivente adhuc Petro († 67) et ante Evangelium Lucae, quod ante a. 64 editum est, ut mox dicemus. Sed insuper Marcus diu ante istam epocham scripsisse dicendus est si velint ea omnia servari quae antiquissimi et probatissimi testes de illo tradiderunt (vid. super.). Nam vivente et praedicante Petro Romae eum scripsisse ferunt, postea vero Alexandriam missum ubi octavo Neronis anno (aerae vulg. 62) mortuus est, postquam amplius decem et octo annis illam Ecclesiam rexisset, ut colligitur ex Eusebio hist. Eccl. II, 16 coll. 14, 43 et in Chronico ad a. 41 Claudii, ex Hieronymo de vir. ill. c. 8, aliisque.

Ergo ante annum 44 retrahenda est editio eius Evangelii. Cl. P. Patrizi magis determinate contendit Marcum circa finem a. 42 vel medio anno 43 scripsisse, eo quod ex laudatis testimoniis constat Marcum Alexandriam profectum esse (post scriptum Romae Evangelium) imperante Claudio, et vivente adhuc rege Agrippa maiore, quem ante finem a. 43 mortuum esse ostendit. Marcus

(1) Nec obstat quod legitur V, 2: « Est autem [527] Ierosolymis probatica piscina. » Nam imprimis multi codices Graeci habent γη erat pro 527: est, quibus consentiunt versiones Syriacae et versio Armeniaca: deinde potuit piscina illa manere etiam eversa urbe, quod valde verosimile videtur.

(2) Sequimur hic communem et antiquam sententiam qua Christi mors ponitur anno U. C. DCCLXXXII, qui est aerae Vulgaris XXIX, aetatis Christi XXXIV. Notum est enim aerae Vulgarem non incipere ipso anno Christi natali, sed anno quinto post Christi nativitatem.

igitur scripsisset Evangelium ante finem a. 43 et post medium a. 42, nam post Pascha huius anni 42 Petrus primum Romam venit secum ducens Marcum comitem ac interpretem. Non est tamen hic dissimulanda difficultas quae oritur ex testimonio S. Irenaei, quo omnia huc usque asserta perturbari videntur atque omnino everti. Is enim in l. III c. 1 postquam dixisset apostolos Evangelium quod antea praedicaverant postea scripto consignasse, prosequitur: « Ita Matthaeus in Hebraeis ipsorum lingua scripturam edidit Evangelii cum Petrus et Paulus Romae evangelizarent et fundarent Ecclesiam. Post vero horum excessum (μετά δὲ τὴν τοῦτων ἔξοδον) Marcus discipulus et interpretes Petri, et ipse quae a Petro annuntiata erant per scripta nobis tradidit. Et Lucas autem sectator Pauli quod ab illo praedicabatur Evangelium in libro condidit; postea et Ioannes etc. » In hoc testimonio multa occurrunt quae cum superius demonstratis pugnant. Nam Evangelium Matthaei post Pauli adventum Romam, id est post a. 61 scriptum dicit contra id quod ostendimus ex antiqua traditione, et Marci Evangelium serius quam par est vulgatum asserit; si enim verba illa: post horum (Petri et Pauli) excessum intelliguntur de morte Apostolorum tunc Marcus scripsisset post a. 67, proindeque verum non esset eius librum a Petro probatum fuisse, eumque ante Lucam scripsisse, et octavo Neronis anno mortuum esse; si autem excessus (ἔξοδος) accipiatur pro discessu Petri et Pauli ab urbe Roma (paulo ante memorata), etiam tunc epocha minus apta exurgeret; tunc enim Marcus scripsisset post completum biennium primae captivitatis Pauli Romae, de quo loquitur Lucas in fine actorum, id est post a. 63, atque ideo scripsisset post Lucam, qui ante hunc annum non modo Evangelium sed etiam Actus vulgaverat, quod admitti non potest: et praeterea, iuxta Eusebii aliorumque testimonium, tunc temporis Marcus iam e vita excesserat postquam multos annos Alexandriam Ecclesiam gubernasset. Ad haec difficultates solvendas diversas vias inierunt critici. Grotius (adnot. init. Marc.) et Christophorus difficultatem de medio tollunt leviter immutata loci lectione, ubi pro: τοῦτων ἔξοδον legunt: τοῦτοῦ ἔξοδου (huius editionem) scilicet Evangelii Matthaei antea laudati, atque ita, quod pertinet ad Marcum, omnia recte se haberent: siquidem Marcum post Matthaum edidisse evangelium certissimum est. Sed quoniam haec lectio unius tantum vel alterius codicis auctoritati innititur, nec illam agnoverunt antiqui

editores Irenaei et Eusebii (qui hunc locum refert) imo nec antiquiores utriusque latini interpretes, minus probabilis videtur. Itaque clarissimus Patrizi, servata antiqua lectione, duas alias solutiones difficultatis suggerit. Prima est ut deleatur punctum, quod est in citato loco inter ea quae sunt de Marco et ea quae de Luca, et aliud punctum, quod invenitur post incisum de Petri et Pauli praedicatione ante illud retrahatur ita ut totus locus ita legendus sit: « Matthaëus in Hebraeis ipsorum lingua scripturam edidit Evangelii. Cum Petrus et Paulus Romae evangelizarent et fundarent Ecclesiam, post tamen horum exitum, Marcus discipulus et interpres Petri et ipse quae a Petro annunciabantur per scripta nobis tradidit, et Lucas sectator Pauli etc. » Hac ratione utramque Evangelium Marci et Lucae refertur ad praedicationem et ad exitum Petri et Pauli (scilicet discessum ab urbe, nam de morte ut diximus intelligi non potest) non tamen *collective*, uti aiunt, sed *distributive*, scilicet Evangelium Marci post praedicationem et discessum Petri, quae a. 42 et 43 locum habuerunt, Lucae vero post praedicationem et discessum Pauli. Quod quidem difficultatem solvit saltem quoad Marcum. Difficultas etiam de Matthaëi evangelio tollitur interposito illo puncto quod disiungit incisum de Matthaëo a sequenti de Petro et Paulo. Alia solutio in eo est ut verba illa μετά δὲ τῆν τούτων ἔξοδον post vero horum exitum, non referantur ad Petrum et Paulum, sed ad omnes Apostolos, ita ut antithesis sit inter epocham Evangelii Matthaëi, et epocham aliorum evangeliorum, quod illud scriptum fuerint in Hebraeis idest commemorantibus adhuc in Iudaea Apostolis, haec vero post horum exitum, id est postquam Apostoli ex Iudaea egressi sunt, et in varias regiones profecti ad disseminandum Evangelium, quod a. 42 factum esse creditur: atque ita difficultas componitur. Non est igitur cur recedamus ab epocha Evangelii Matthaëi et Marci superius assignata.

3° Evangelium Lucae qua aetate scriptum fuerit determinandum est partim ex comparatione cum Evangelio Marci, quod ex dictis antiquius est, partim ex epocha libri Actorum Apostolicorum qui ab ipso Luca post Evangelium scriptus est ut apparet ex eisdem libri exordio Act. I, 1. « Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quae coepit Iesus facere, et docere etc. » Itaque planum est Lucae Evangelium post a. 43 scriptum esse, et

ante a. 63, quo tempore Actorum liber scriptus videtur ut postea dicemus. Difficile autem est accuratius huius Evangelii tempus definire. Cum tamen non videatur multum temporis intercedere potuisse inter Evangelium et Actus, et Lucas non nisi serius Paulo sese adiunxerit, quo magistro ac duce Evangelium ab eo scriptum esse docent Irenaeus, Tertullianus alique ex veteribus, hinc a vero fortasse non aberrabimus collocantes Lucae Evangelium inter a. 58 et 61 (1).

4° Evangelium Iohannis, omnibus consentientibus, postremum est ordine temporis, et post a. 70, quo Hierosolyma capta est, exaratum. Non conveniunt tamen antiqui scriptores in epocha praecise determinanda qua Iohannes illud scripserit, cum alii dicant eum scripsisse in insula Patmos, in quam relegatus fuerat sub Domitiano, alii ante relegationem, alii vero post reditum in Asiam. Epiphanius (haer. XXXI) Iohannem nonagenario maiorem, Suidas (in lexico) centenarium scripsisse dicunt; approximative igitur assignare possumus epocham huius Evangelii inter a. 90 et 100 aerae vulgaris.

Haec de quatuor Evangelii. De quibus plura videri possunt accuratissime disputata in libro 1° operis P. Patrizi *De Evangeliiis*.

H. Actus Apostolorum.

Liber iste, quem *Actus Apostolorum* πρᾶξις τῶν Ἀποστόλων vocamus, Lucam habet auctorem, ut superius ostendimus. Est autem veluti appendix seu continuatio Evangeliorum, quatenus Ecclesiae a Christo fundatae originem, incrementa, et per varias mundi partes propagationem narrat. Vocatur autem Actus Apostolorum eo quod Apostolorum gesta referat, per quos Ecclesia stabilita et pro-

(1) Plures auctores contendunt Evangelium a S. Luca conscriptum fuisse inter an. 48-52. Sed rationes quas afferunt minus solidae nobis videntur, et ex altera parte praefata epocha non respondet adinnetis Lucae, praesertim in relatione cum Paulo Apostolo, ut supra innimus. Afferunt nonnulli locum ex 2. Cor. VIII, 18 « Misimus cum illo fratrem cuius laus est in Evangelio per omnes Ecclesias » quae verba dicunt respicere Lucam Evangelistam, ac proinde Evangelium ab eo scriptum fuisse antequam Paulus 2° epistolam ad Corinthios mitteret seu ante a. 57. Veram incertum omnino est an verba illa respiciant Lucam ut scriptorem Evangelii an eundem (vel alium) ut collaboratorem (συνεργόν) Apostoli in Evangelio, seu in praedicatione, quales multi erant in epistolis Pauli passim laudati.

pagata est. Totum opus in duas partes commode dividi potest, quarum prima generalis est, altera vero specialim de Pauli gestis pertractat. Itaque *Pars I^a* a cap. I—XII post memoratam Christi Domini ascensionem, et Mathiae electionem ad Apostolatam loco Iudae proditoris (Cap. 1), exponit Ecclesiae nascentis exordia, et propagationem primum quidem inter Iudaeos, dein etiam inter gentes. Die Pentecostes iuxta Christi promissionem Spiritus Sanctus visibili specie in Apostolos illabatur, eosque protinus in alios viros immutat, ita ut magno animi fervore et divina eloquentiae vi statim Christi Evangelium praedicare incipiant. Ad primam Petri praedicationem eodem die tria hominum millia Christi fidem amplexi, primitias Ecclesiae Hierosolymae efformarunt: paulo post eodem Petro praedicante postquam insigni prodigio claudum a natiuitate coram universo populo sanasset alia quinque hominum millia parvo gregi se adiunxerunt (II—IV). Haec fuerunt Ecclesiae initia. Narrantur postea ea quae a magistratibus Hebraeorum Apostoli passi sunt, primorum fidelium fervor in Evangelicis sive praeceptis sive etiam consiliis sectandis, exemplaris Ananiae et Saphirae punitio, diaconorum electio (VI), martyrium B. Stephani (VII), fidei propagatio inter Iudaeos et Samaritanos, mirabilis conversio Pauli (IX), itemque Cornelii Centurionis cum tota familia, qui veluti gentilitatis primitiae a Petro baptizati et in Ecclesiam, Dei iussu, recepti sunt (X), nova deinde Evangelii propagatio per Syriam usque Antiochiam ubi discipuli primum *Christiani* appellari coeperunt (XI, 26), denique martyrium Iacobi maioris, et Petri vincula a quibus per Angelum mirabiliter solutus est (XII). *Pars II^a* a Cap. XIII—XXVIII vix aliud continet quam varia Pauli Apostoli itinera, labores et passiones pro Evangelii causa, quorum omnium Lucas testis, saepe etiam particeps fuit. Paulus igitur et Barnabas a Spiritu Sancto ad Apostolatam electi (XIII, 2, 3) ex Antiochia Syriae proficiscuntur in Cyprum, inde in Asiam minorem transeunt, et Evangelium Antiochiae Pisdiae, Iconii et Listris praedicant in Synagogis Iudaeorum; Iudaeis vero resistentibus et Evangelium recusantibus ad gentiles convertuntur, quorum magnus numerus Christi fidem susceperunt (XXIII, 46—49): tunc, constitutis in variis locis presbyteris, Paulus et Barnabas Antiochiam Syriae revertuntur (XIV). Mox oritur controversia de necessitate circumcidendi ethnicos ad fidem conversos, ad quam dirimendam cogitur Hierosolymae primum

Apostolorum concilium, ubi, Petro primas partes agente, definitum est non esse gentiles conversos Moesais ritibus obligandos (XV, 1—33). Sequitur narratio plurium peregrinationum Pauli Apostoli per Ciliciam, Asiam, Lysiam, Phrygiam, Galatiam, Macedoniam etiam et Graeciam, et repelita in Antiochiam et Hierosolymam itinera, donec idem Paulus a Iudaeis accusatus coram romano praeside Hierosolymae in vincula conicitur, unde paulo post Romam iudicandus mittitur, ibique per biennium in carcere detinetur (XVI—XXVIII). Hic desinit historia actuum Apostolicorum. A cap. XVI v. 10 Lucas in prima persona plurali loquitur ostendens se ab eo tempore quo Paulus in Macedoniam profectus est eiusdem socium ac cooperatorem fuisse. Historia Actuum Apostolicorum triginta et quatuor annos circiter complectitur scilicet a Christi Domini ascensione usque ad biennium captivitatis Pauli a. 61—63. Ex dictis apparet scopum Lucae non fuisse omnium Apostolorum facta narrare, aut integram nascentis Ecclesiae historiam, sed praecipua tantum quae ad Ecclesiae origines noscendas necessaria videbantur. Non solum enim de pluribus Apostolis nihil prorsus dicit, sed etiam de Petro ac Paulo plura omittit, quae aliunde, ex gr. ex ipsius Pauli epistolis, et ex antiquorum scriptorum testimonio discenda sunt.

De tempore et loco quibus actus Apostolorum conscripti sunt non convenit inter criticos. Attamen ex eo quod Lucas historiam absolvat cum prima Romana Pauli captivitate non videtur post hanc aetatem editum fuisse librum; secus enim cur nihil addidisset de reliquis Pauli gestis, et de gloriosa eius morte quae paucis post annis accidit? Videtur itaque collocanda scriptio Actuum Apostolicorum in fine praefati biennii a. 63, et quidem Romae ubi Lucas Paulo adhaesit usque ad finem captivitatis: quod quidem Hieronymus pro certo habet iniquens Catal. Vir. III. C. 7: « Aliud quoque edidit (Lucas) volumen quod titulo Apostolicarum $\pi\alpha\tau\epsilon\rho\upsilon\sigma\upsilon\mu$ praenotatur, cuius historia usque ad biennium Romae commorantis Pauli pervenit, idest usque ad quartum Neronis annum: ex quo intelligimus in eadem urbe librum esse conscriptum. » Eandem sententiam vulgo sequuntur critici, paucis repugnantibus.

Stylus et lingua Actuum Apostolorum conveniunt adamussim cum stylo et lingua tertii Evangelii, et eundem Auctorem produunt.

III. Epistolae S. Pauli.

Paulus, antea Saulus dictus (Act. XIII, 9), Tarsi in Ciliciae metropoli florentissima natus est parentibus Iudaicis et Pharisaeorum sectae addictis, cui et ipse nomen dedit, et ardentius se se devovit (Act. XXIII, 6, Phil. III, 5, 6). Titulo ac iure Civis Romani a nativitate ornatus erat (Act. XXII, 29). Adhuc adolescens Ierosolymam venit, et Gamalielis celeberrimi tunc temporis Iudaeorum Doctoris disciplinae se tradidit, quo magistro tantum profecit ut in Iudaica Lege et eruditione doctissimus evaderet (Act. XXII, 3); studia etiam literarum Graecarum non neglexit ut ex eius scriptis apparet. Placita Pharisaeorum tanto zelo prosequeretur, ut nascentis tunc Christi Ecclesiae vehementissimus impugnator ac persecutor fieret (Act. VII, 57, IX, 1, 2). Verum Christus Dominus qui eum ex lupo agnum efficere destinaverat, et ex persecutore Apostolum, eundem mirabili prorsus modo ad se convertit dum « *spirans minarum et caedis in discipulos Domini* » pergeret Damascus ut Christianos ibi forte inventos comprehenderet et Ierosolymam puniendos duceret. In ipso itaque itinere coelesti splendore subito percussus ac prostratus, auditaque Christi voce eum redarguentis repente mutatus est, et suscepto Damasci baptisate, coepit exinde maiori ardore rem Christianam promovere quam quo antea impedire et evertere conatus fuerat (Act. IX), idque tam constanter ut usque ad ultimum vitae halitum non cessaverit pro Christo ardua quaeque suscipere, et omnis generis molestias pati. Suscepto Baptismo per triennium partim in Arabia partim Damasci Christum intrepide praedicavit, ita ut Iudaeorum odium in se concitaret. Tum Ierosolymam primum venit ut videret Petrum Apostolorum et totius Ecclesiae caput (Gal. I, 18), apud quem nonnisi quindecim dies manere potuit (ibid.) agentibus scilicet adversus eum Iudaicis et necem parantibus; quare discedere coactus per Caesarem Tarsum Ciliciae venit, ibique diu commoratus est (Act. IX, 23, Gal. I). Deinde a Barnaba ductus Antiochiam, ubi iam Ecclesia florescere coeperat, ambo per integrum annum docuerunt, et ab eadem Ecclesia postea Ierosolymam ablegati sunt ut collecta subsidia fratribus Iudaeam incolentibus deferrent, quibus fames imminerebat (Act. XI, 25 seqq.). Inde reversus Antiochiam Paulus (Act. XII, 25) una cum Barnaba et Marco

primum iter Apostolicum suscepit in Ethnicorum regiones, et Evangelii vexillum fixit, ecclesiasque fundavit in insula Cypro, Pergae in Pamphilia, Antiochiae in Pisidia, Iconii, Lystris et Derbae (XIII, 1, XIV, 26). Reversus inde Antiochiam Syriae (XIV, 28) ibique diu commoratus secundum iter Apostolicum una cum Sila suscepit primum per Syriam et Ciliciam usque Derben et Lystram, dein vero, assumpto Timotheo, per Phrygiam, Galatiam, Mysiam, et Bithyniam usque ad Troadem: inde vero, comitante etiam Luca, in Europam Orientalem transgressus est, et primum in Macedonia Philippos, Thessalonicam, et Beraeam Evangelii doctrina imbuunt; denique Athenis quoque, et Corinthi Christum praedicavit (Act. XV, 36, XVIII, 22).

Post aliquod tempus tertium iter Apostolicum aggressus est in regiones Asiae minoris, quas antea visitaverat, Ephesum usque, ubi ultra biennium docuit (Act. XIX, 10 seq.): Epheso vero relicta, in Macedoniam, deinde usque ad Illyricum perrexit (Rom. XV, 19); Nicopoli in Epiro hiemavit, tres menses in Achaia, praesertim Corinthi, transegit, denique per Macedoniam, Asiam Minorem, Tyrum et Caesarem reversus est Ierosolymam (Act. XVIII, 23, XXI, 17).

Ierosolymis a Iudaicis de legis contemptu et de apostasia accusatus in carcerem coniectus est, unde Caesarem missus sub Felice et Festo Romanis procuratoribus captivus per biennium detentus est; cum autem ad Caesarem appellasset a Festo Romam mittitur (Act. XXI, 18, XXV, 12). Post varias vicissitudines, et plura pericula superata in maritimo itinere, tandem Romam pervenit, ubi sub militari custodia per biennium mansit (XXVII, 1, XXVIII). Hucusque pertingit Actorum liber, ut supra vidimus. Postea vero e captivitate dimissus in Orientem reversus est, nude iterum Romam venit ubi cum Petro Apostolorum principe martyrium subiit (A. 67). Haec quae a Luca non referuntur ex traditione innotescunt, de qua legendi sunt Eusebius (Hist. Eccl. II, 22-25) et antiquiores Caius Romanus, Dionysius Corinthius, Tertullianus aliique. Utrum Apostolus Romam rediens in Hispaniam venerit (quod ipse se facere voluisse dicit Rom. XV, 24-28), inter criticos controversatur. Haec est summa gestorum Pauli Apostoli, quorum series chronologica melius patebit ex tabula synoptica, quam huic numero appendemus.

Nunc dicendum de Pauli scriptis.

Vidimus in superiori articulo *quatuordecim* esse Pauli Epistolas canonicas (utrum alias praeterea scripserit dicitur in II^a Parte) quarum postrema quae ad Hebraeos dicitur deuterocanonica est. In his omnibus Apostolus praecipua Christianae Religionis dogmata sive theoretica sive practica subtiliter, eloquenter, et coelesti quadam unctione proponit, evolvit, ac vindicat. Stylus harum epistolarum uniformis est et Paulo omnino proprius, excepta fortasse laudata Epistola ad Hebraeos, de qua seorsim tractabimus. Epistolae Pauli usque ab aetate Apostolica in unum collectae fuerunt, ut ex testimoniis Origenis, Tertulliani, Irenaei, imo ipsius S. Petri (2 Pet. III, 13, 16) innoscit. Non semper tamen eodem ordine dispositas fuisse ex codicum varietate apparet, nunquam tamen ordine chronologico distributae fuisse videntur. Vulgata latina partim sequitur ordinem dignitatis Ecclesiarum vel personarum ad quas singulae destinatae sunt, partim materiam, de qua pertractant, reiecta tamen ad ultimum locum epistola ad Hebraeos, quia serius apud Latinos in Canonem universalem recepta est. Hic itaque brevissime dicemus de singulis iuxta ordinem vulgatae notata tamen quantum fieri potest uniuscuiusque epocha, quod postea in citata tabula synoptica sub uno conspectu exhibebimus.

A. *Epistola ad Romanos.*

Occasio et scopus Epistolae. — Postquam Petrus, alique Apostoli Evangelium gentibus annunciare coeperant, et Ecclesia in variis regionibus partim ex Iudaeo-Christianis partim ex Ethnico-Christianis coalesceret, aemulatio quaedam et contentio inter utramque partem oriri coepit. Illi enim de sua origine Iudaica gloriabantur, et vocationem ad fidem proprio quodam iure sibi vindicabant, eo quod populus electus fuisset ex quo Messias ortum habuit, ideoque fideles ex gentilitate conversos despiciebant; hi vero vicissim Iudaeos contemnebant eo quod divinis beneficiis ingrati fuissent, ipsumque Messiam mundi Salvatorem crucifixissent, sibi autem potius debitam fuisse dicebant lucem Evangelii, quia Legem naturalem coluerant, et Philosophiae praeceptis obsequuti fuerant, et si peccaverant ignorantiae excusationem habebant. Utraque igitur pars de suis meritis gloriabatur. Haec occasionem praebuerunt Apostolo Epistolam scribendi, cuius proinde scopus directus et praecipuus est ostendere, vocationem ad fidem et gra-

tiam non meritis sive Iudaeorum, sive Ethnicorum esse debitam, sed a Dei libera electione, et misericordia repetendam esse, omnes autem peccatores esse, Iudaeos in lege, et gentes sine lege, et *omnes egere gratia Dei*. Plura vero addit in fine ad morum praeccepta pertinentia, et eorum ad quos scribebat conditioni accommodata. Tota epistola XVI capitulis constat.

Summa et analysis epistolae. — Duae sunt epistolae huius partes altera *theoretica*, altera *practica*. *Pars I theoretica* a cap. I-XI quaestionem illam pertractat, quae occasionem praebuit scribendae epistolae, scilicet de gratiae et praedestinationis gratuitate, necessitate et efficacia. Hinc multa profunde disserit de praedestinatione et praescitis, de gratia et merito, de libero arbitrio et de lege peccati, de humanae naturae corruptione per Adam et reparatione per Christum, de lege naturae et lege Moysi, de occulto et inscrutabili Divino consilio circa hominum salutem, et concludit totum iustificationis et salutis negotium ex Dei beneplacito, et Christi meritis pendere, nec esse ex observantia legis Moysi, aut ex propriis meritis sperandam salutem, sed unice per fidem in Iesum Christum Redemptorem et mediatorem inter Deum et homines.

Pars II practica a cap. XII-XVI pertractat de vitiis ac virtutibus; Romanos hortatur ut bene utantur charismatibus a Deo acceptis, ut charitatem mutuam in omnibus servant, magistratibus ex conscientia obediant, luxuriam vitent (XII-XIII). Addit plura de ciborum distinctione tum in se considerata, tum in ordine ad scandalum infirmorum (XIV-XV): denique nonnullas particulares personas commendat, et plures salutationes mittit (XVI).

In hac epistola, quae ceteras fortasse antecellit rerum copia ac profunditate, plura speciali animadversione digna sunt, scilicet 1^o quod Ecclesiam Romae iam constitutam ac florentem supponit antequam Paulus eo advenisset (I, 7, 8, 12 coll. 13), quod innuit Petrum iam pridem Romae praedicasse, ut fert vetus traditio, de aliis enim Apostolis praeter Petrum id nemo affirmavit; quod etiam confirmatur ex singulari modo quo Paulus Romanos alloquitur, scilicet cum quadam reverentia, et veluti sese excusans quod iis praedicare vellet (I, 8, 11), quare id temperat illis verbis « *id est simul consolari in vobis per eam, quae invicem est fidem vestram, atque meam,* » quae confirmant quae diximus de Petro Apostolorum principe, a quo fiebat ut Romana Ecclesia iam inciperet esse ma-